

www.e-rara.ch

**R.P. Didaci de Baeza Ponferradiensis, Societatis Iesv Theologi,
Commentariorvm Allegoricorvm & Moraliu de Christo figurato in veteri
Testamento Tomi I & II [-tomus septimus]**

Baeza, Diego de

Lvgdvni, M. DC. XLIV.-M. DC. LIII

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-133529>

Caput I. Convivii Iesu, & convivii Esterhis symbola.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



LIBER DVODECIMVS ESTHER, SIVE IESV CONVIVIUM.

ME iam vocat regalissimum Iesu conuiuium, quo armauit Ecclesiam suam, vt frequentes agat de hostibus triumphos. Nec insolitum Deo fuit per conuiuia hostes confringere, & suos erigere ad glorias alumnos. Sic ab Assueri conuiuium Vasthi Regina ostenditur repulsa; & Esther preparata, vt regnum subeat. Necnon & ipsius Estheris conuiuium Amano mortem intulit, & Iudaico populo attulit salutem. Quippe totus Estheris liber plenus est triumphalibus conuiuiis, vt iure petat, in viuifici conuiuij à Iesu parati figuram assumi.



CAPVT I.

Conuiuij Iesu, & conuiuij Estheris Symbola.

ANte mysteria dominicæ Passionis mensa proponitur eucharistica; quas enim aëreas potestates ligno contracturus ascendit Dominus crucem, easdem nobis insinuat conterendas viuifico cibo.

§. I.

In Eucharistia, quod vetustum est, tollitur, nouitasque perquirenda est vita.

Adest in primis cantatissimum conuiuium ab Assuero paratum, vt dicit Esther cap. 1. *Tertio igitur anno Imperij sui fecit grande conuiuium, &c.* Cuius conuiuij finis si spectetur, prima uia Assueri coniux Vasthi reicitur, & de noua alia quærenda ingeritur sollicitudo. Sic sapientum decreto cautum est: *Nequaquam ultra Vasthi ingrediatur ad Regem: sed regnum illius, altera, qua melior est illa, accipiat.* Eo deuenit Assueri conuiuium, vt Vasthi Regina repelleretur, & alia noua quæreretur. Quod merito trahit ad Christum Hugo de Sancto Victore, lib. 9. Allegor. cap. 1. & Berthorius lib. 19. Moral. c. 1. in fin. vbi ait: *Igitur ista est veritas, quod quando Rex noster Christus fidelibus suis magnum conuiuium fecit: & utique fuit, quando se ipsum Sacramento Altaris ad comedendum dedit: tunc uxor sua Synagoga venire renuit: Idem de consilio Apostolorum ista deponenda, & relinquenda condemnatur, & alia substituenda, scilicet, Ecclesia de gentibus, loco ipsius indicatur. Umbra fuit conuiuium Assueri, in quo reprobatur Vasthi, & alia sponsa quæritur. Veritas autem in conuiuium Eucharistiæ maximè splendescit, in illo offendit Synagoga uetus Christi coniux, & quæritur noua alia sponsa, nempe, Ecclesia gentium. Nunquam enim veterem vitam non fugat cibus cælestis, vt ad nouam profiliat. De Angelorum pane, nempe, man-*

Baëza de Christo figur. Tom. VI.

na locutus textus Exod. 16. cauebat: *Sex diebus colligite; in die autem septimo Sabbathum est, idcirco non inuenietur.* A Dominica die incipiebat mannae collectio, in die autem Sabbathi nec minutissimum eius granum inueniebatur. Et cur in Sabbatho non inueniebatur? Pertinebat Sabbathum ad veterem Synagogam, à qua diuinus cibus fugiebat, vt nouæ Ecclesiæ gentium copularetur. Ait D. Hilar. Arelat. hom. 5. de Paschate: *Quis Panis Angelorum est, nisi Christus? Hunc Panem, dicente Propheta, sexta die duplum colliges: dum à primo, id est, Dominico die in lege tribuitur, & in solo Sabbatho denegatur: iam tunc Christus ab Ecclesia, cui Dominicum diem resurrectionis consecrauit, recipiendus ostenditur, & Synagoga, ad quam cultus Sabbathi pertinebat, negandum esse prædicatur.* Qui ad veterem Synagogam pertinebat dies, nempe, Sabbathi dies, sine cælesti relinquitur Pane, qui diebus Dominicis abundabat, in quibus noua Christi nuptia, Ecclesia gentium significabatur. Vt hinc discas, quam fugiat vetustatem cælestis Panis, & ad uitæ inclinaret nouitatem. Vbi enim Christus est, reprobatur vetustas, & gratiæ nouitas præualefcit. Dicebat Psal. 44. *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato. Quæ uerba sic legit Chaldaeus: Stabit liber legis in latere dextera tua, & scribetur obrius Ophirico.* Cum autem aureum legis librum à dextris Iesu dicit stare, non adducor, vt credam, librum illum ad veterem legem pertinere; sed ad nouam legem gratiæ. Quidquid enim uetus est apud Christum, nunquam probatur. Cui excogitationi lumen prætulit D. Amedæus homil. 1. de laud. Mariæ, vbi fatur: *Aduertamus itaque duos tanquam calathos aureos, plenos fructibus, & floribus adornatos, nouum, & uetus Testamentum hinc, & inde lauam, dextrâque Virginis consistentes. Quorum antiquitas transit in lauam, & noua gratia coruscat in dextra.* Merito Christi Domini Mater inter duo Testamenta, uetus, & nouum, quasi inter duos aureos calathos conspicitur. Sed noranda sunt illa: *Quorum antiquitas transit in lauam, & noua gratia coruscat in dextra.* Quippe, quidquid uetustatem redolebat, ad lauam, nimirum, reprobationis pertinebat partem. A dextris autem noua debet gratia coruscare. Vnde monebat Paul. 1. ad Corin. 5. *Itaque epulemur, non in fermento ueteri, neque in fermento malitia, & nequitia; sed in azymis sinceritatis, &c.* Sic enim ad diuinissimum epulum accedendum nobis est, vt uetustatem reprobemus, & nouam uitam instituamus. Quod insinuans Dominus immediatè post agnum esum, eucharisticam mensam instituit, vt doceamur ad transitum

Exod. 16.

Hilar. Arelat.

Psal. 22.

Amedæus

1. Cor. 5.

A nouæ

Esther 1.

Hugo de S. Vict.

Alger. nouæ vitæ præparari. Ait Algerus lib. de Sacr. c. 2. Quia in Ægypto datus est agnus Israëlitis, inde statim exiturus; dandus est item agnus Dei peccatoribus, ut à uastante Angelo protegantur; sed deinceps peccatis renunciantur. Non inhæreere debes veteri vitæ post diuinissimi epulum agni; sed ad nouam debes properare. Cælestis enim cibus ex se nunquam non in te facit nouitatem. Psal. 42. Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui latificat inuentionem meam. Ab altari Domini statim senectutem abiicis, & in iuuentam abis. Ut dicat D. Ambr. lib. 4. de Sacr. cap. 1. Deposuisti peccatorum senectutem, sumpsisti gratia inuentionem, Hoc præstiterit tibi Sacramenta cælestia. Sed & Psal. 102. dicebat: Renouabitur, ut aquila, iuuetus tua. Circa quæ D. Amb. ubi supra ait: Bona Aquila circa altare. Vbi enim corpus, ibi & aquila, Forma corporis altare est, & Corpus Christi est in altari. Aquila vos estis renouata ablutione delicti. Sic ab altaris mensa ueritas peccati abest, & nouitas vitæ plaudat. Matth. 27. Ioseph accepit corpus Iesu, & posuit illud in monumento suo nouo. Circa quæ Damascenus orat. de Sabbacho sancto ait: Christus in nouo sepulcro reponitur? Expurgemus nos ipsos à fermento ueteri, nouaq; conspersio fiamus, ut idoneum Christi habitaculum fiamus. Quod docebat Paul. 1. ad Cor. 6. factus: itaque epulemur, non in fermento ueteri. Circa quæ D. Anselm. ait: Noua itaque conspersio debemus esse, id est, omnes innouari, & infusione Spiritus sancti unum per charitatis effectum, ut Pascha manducare simus idonei; quia Pascha nostrum immolatus est Christus, ad cuius esum inuitamur. Quod hoc etiam talis conspersio esse debemus; quia ipse Christus, est transitus nostrus, ut nos si dignos inuenerit, transferat ad patriam uitæ. Sic ibi.

§. II.

In Eucharistia maxime ostenditur potestas diuina supra omnes creaturas.

Dicitur conuiuium ab Assuero factum in ostensionem potentia, & gloriae suæ. Ait enim Textus: Fecit grande conuiuium cunctis Principibus. Ut ostenderet diuitias gloriae regni sui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentia sua, & c. Sic magnus Rex Christus fecit magnificum Eucharistia conuiuium, in quo maxime ostenditur eius gloriae, & potentia magnitudo. Quod spectans dicebat Dominus Iudæis Malachia c. 1. Non est mihi uoluntas in uobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu uestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Quibus ostendit, quam late pateat magnitudo, & claritudo nominis diuini, ex quo cœpit offerri oblatio Eucharistia. Ut dicat D. Irenæus lib. 4. cap. 32. Eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit dicens: Hoc est Corpus meum: & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia in uniuerso mundo offert Deo. De quo Malachias sic præsignauit: Non est mihi uoluntas in uobis, dicit Dominus omnipotens; & sacrificium non accipiam de manibus uestris, quoniam ab ortu Solis usque ad occasum glorificatum est nomen meum; manifestissime significans per hoc, quoniam prior quidem populus cessauit offerre Deo; omni autem loco sacrificium offertur ei, & hoc purum; nomen autem eius glorificatur in gentibus. Vbi conuiuium hoc regalissimum cœpit mundo apponi, manifestatae sunt diuitia gloriae nominis diuini, & potentia eius: non enim nisi à potentissimo, & gloriosissimo Deo tale potuit conuiuium fieri. Cum iam Abraham reportauerat uictoriam ab hostibus, dicit Gen. 4. Melchisedech Rex Salem proferens panem, & uinum, benedixit ei. In pane, & uino præsignabat eucharisticam mensam. Et sapientissimè notat Paulus ad Hebr. 7. quod tantus Rex, & Sacerdos, nimirum, Melchisedech introductus ad præsignandum diuinissimum Eucharistia mysterium introducatur absque uilla parentum, aut genealogia memoria: Sine patre, sine matre, sine genealogia. Et quando hoc communissimum erat sacris Scriptoribus, quod maximorum uirorum, imò & foeminarum facinora referentes, eorum parentes, & genealogiam proponerent; cur Melchisedech in exhibitione panis, & uini, sine patre, & matre, & genealogia proponitur? Ut Melchisedech uifici panis, & uini eucharistici umbram prætendebat; sic ipse ostendebatur, quasi non esset huius creationis; non enim creata potestas; sed increata apparet in eucharistici epuli exhibitione. Ait D. Amb. lib. de iis, qui mysteriis inuuantur, cap. 8. Non Abraham protulit panem, sed Melchisedech,

qui inducitur sine patre, & sine matre; neque initium dierum, neque finem habens; similis autem Filio Dei: Non igitur humani, sed diuini est muneris Sacramentum, quod accipis. Equidè supra hominem, imò supra Angelum ostenditur esse, qui talem exhibet escam homini. Dicebat Petrus 1. epist. 1. In 1. Petr. 2. quem desiderant Angeli prospicere. In margine autè ponitur: In qua desiderant Angeli, & c. Siue autè legatur, in quem, siue legatur, in qua, sunt, qui putent, ibi intelligi Christum, prout est in Eucharistia. Quos citat, & sequitur noster Turrian. tr. 2. de Euchar. c. 18. & 19. Et cur præcipue Angeli afficiuntur Christi desiderio, prout est in Eucharistia? Quid habet Dominus in Eucharistia, quò magis rapiat Angelos, quam extra Eucharistiam? Nonne & in cælo illis apparet, ut est in se homo, Deus? Nonne & ipse existendi modus in Eucharistia, dum est totus in toto, & totus in qualibet parte, & Angelis, & omnibus spiritibus communissimus est? Quid ergo in Eucharistia videre auent, quod non uideant extra? In Eucharistia ea potestas exercitatur, qua Christus in cælo manens, nihilominus simul realiter adest sub speciebus panis, & uini; quod in uisitatū, & nouum, & peregrinum est uel angelicæ naturæ. Ait Algerus lib. 1. de Sacr. c. 14. Angeli non habent, ut uide recedunt, ibi remaneant. Quo priuilegio sola caro Christi, qua super omnem creaturam exaltata est, super omnem, & præter omnem naturam insignita est, ut per omnipotentiam, qua ei data est in cælo, & in terra, ubicunque, quomodocunque sibi placuerit, non de loco ad locum transiendos; sed ibi, ubi est, remanendo, & alibi, ubicunque uoluerit, existendo, tota & integra substantialiter sit, ac in cælo, & in terra. Hoc habet caro Christi Domini ex omni potentia Verbi, cui unita est, ut remanendo in cælo, sit & in terris; & ubicunque uoluerit. Quæ potestas, ut in Eucharistia supponi debet, sic ad illam uidentam miro rapiuntur Angeli desiderio. Datam enim sibi omnem potestatem cæli, & terræ tunc Iesus certissimè ostendit, cum porrecto pane discipulis aiebat Matth. 26. Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum. Circa quæ sapienter ait D. Iren. lib. 4. c. 32. Quomodo constabit eis, panem, in quo gratia acta sunt, Corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant? Id est, Verbum eius, per quod lignum fructificat, de fluunt fontes, dat primum quidem herbam, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica. Eo ipso, quod credas, Corpus Christi Domini tibi dari in Eucharistia sumendum; necessum est, quod credas inibi totam Creatoris Dei potestatem inesse. Et quid magnum Dei in cibo illo diuinissimo non apparet? Dicebat Psal. 33. Gustate, & uide, te, quam suauis sit Dominus. Dum enim gustetur cibus ille diuinus, tota in illo bonorum, & suauitatum plenitudo claret. Dicebat D. Dionysius Areopag. apud Turrian. tr. 2. de Euchar. cap. 17. Gustate, inquit, & uide, te. Quod ideo dicitur est: quia, qui in horum mysteriorum participatione magnificentiam eorum, & diuinam amplitudinem sanctè contemplantur, hi diuina beneficentia celsissima dona grata memoria laudibus celebrant. Expende, diuina beneficentia celsissima dona: quippe in hoc conuiuio quidquid celsissimum est diuinæ beneficentia planè ostenditur. Exod. 25. sic iubebat Deus: Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. De quo ait D. German. Constant. in Theoria rerum eccles. Panis propositionis sanctificatus indicat purgationem mundi, & eximias diuitias bonitatis, & clementia Dei, in eo, quod Filius Dei homo factus est, & se ipsum proposuit hostiam pro mundi uita: oblatum autem ut primitia, & holocaustum Deo, & Patri, pro genere humano, ut ait: Ego sum panis, qui de calo descendit: qui manducas hunc panem, uiuet in aeternum. Expende illa: Et eximias diuitias bonitatis, & c. quippe eucharisticus panis est pro eximiis diuitiis bonitatis diuinæ ostendendis.

§. III.

Summus Dei amor erga homines ab Eucharistia epulo patet.

Amorem suum erga Esther nuptiali conuiuio testatum fecit Assuerus. Dicit enim Text. c. 2. Admauit eam Rex plusquam omnes mulieres, habuitq; gratiam, & misericordiam coram eo, super omnes mulieres, & posuit diademata regni in capite eius, fecitq; eam regnare in loco uasthi. Et iussit conuiuium præparari, & c. A se, ut præcipuam sponsam amatam, & decoratam Esther conuiuio nuptiali ostendit Assuerus. Sic cæli, terræque Rex naturam humanam à se, uelut sponsam præcipuam amatam, eucharistico epulo demonstrauit. Ait Conc. Trid. sessione 13. c. 2. Saluator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo diuitias

Ambros.

ConcTrid.

ConcTrid.

uicias diuini sui erga homines amoris velut effudit. Effusa sunt in Eucharistia diuini amoris erga homines diuitiæ; vt enim naturam hominis adauit Dominus super omnes Angelos, diademæque regni in capite eius constituit: sic pro hac Dei ad homines coniunctione tantum conuiuium præparari iussit. Quod spectans Cant. 2. Egredimini, filia Sion, & uide Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis sue. Nec parua Expositorum pars putat hæc uerba dicta pro corona spinea a Iudæis recepta. Et quid corona illa spinarum cum die desponsationis? In desponsatione, & flores sunt, & lauta conuiuia: quid hæc cum spinis? Planè spinæ illæ acceptæ à Iesu ardentissimæ eius charitatem erga homines, & ostendebant, & coronabant, qua illos uelut amantissimam sponsam sibi tunc adiungebat, regiæque Eucharistiæ excipiebat conuiuio. Ait Theod. Per spinas suscepit diademata charitatis. Sponte enim ignominiam pertulit, atq; ultra ad mortis cruciatum accessit. Quamobrem desponsationis diem illam uocauit, & diem lætitiæ cordis eius. Tunc enim nuptiarum communiõ facta est. Nam post cœnam, inquit, Accipiens panem, & gratias agens fregit, deditq; discipulis suis dicens: Accipite, comedite ex eo omnes: Hoc enim Corpus meum. Itaque ut quot spinæ erant in corona illa, tot erant charitatis eius, & amoris erga homines indices: sicutantæ charitatis dies, merito censetur desponsationis dies. Id, quod ostendens addidit & Eucharistiæ conuiuium, ne uilè & amoris erga homines, & lætitiæ diuinæ requireretur signum.

§. IV.

Eucharistiæ cibum, quantum est ex se, homines Christo inseparabiliter coniungit.

Conuiuium iussit Assuerus præparari pro arctissima sibi coniunctione cum Esther celebranda: sic enim ait c. 2. Iussit conuiuium præparari permagnificum cunctis Principibus, & seruis suis, pro coniunctione, & nuptiis Esther. Pro coniunctione cum Esther conuiuium parat Rex Assuerus; & uerus cœli, terraque Rex Iesus pro coniunctione Dei cum hominibus & efficienda, & celebranda longè pretiosius epulum sui Corporis, & Sanguinis uoluit parari. Orabat Iesus ad Patrem Ioan. 17. pro Apostolis suis dicens: Non pro his tantum rogo, sed etiam pro eis, qui credituri sunt per uerbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Hæc erat Christi precatio, ut omnes fideles & inter te, & cum Deo unum sint, & sic intimè maneat Deo coniuncti, & adunati, ut nolint ab eo separari. Et qualiter fieri posset, ut qui ad eum erant dissi, & separati inter se, ut Deus, & creatura, possent in unum coniungi? Hoc equidem fieri potuit mediante hoc diuinissimo conuiuio cibi cœlestis, & supersubstantialis. Ait D. Cyril. Alex. lib. 11. in Ioan. c. 26. Ut igitur inter nos, & Deum singulos uniret, quantum corpore, & anima distemus; modum tamen adiuuauit consilio Patris, & sapientia sua congruente: suo enim Corpore credentes per communionem mysticam benedicens, & secum, & inter nos unum nos corpus efficit. Nam, si omnes unum panem manducamus, unum omnes corpus efficiuntur: diuidi enim, atque seiungi Christus non patitur. Sic equidè Dei Filius, Christus Dominus per cibum Corporis & Sanguinis sui datum hominibus, se illis immiscuit, & adunauit, ut ab illis minimè uellet disiungi. Habet enim hoc diuina Corporis Christi esca, ut nolit esse sine suis alumnis, quibus semel se uniuuit. Puncto Christi Domini latere Ioan. 19. Continud exiuit Sanguis, & aqua. Sto à sententia Doctorum putantium in hoc Sanguine ex eunte à latere Christi percusso ostendi epulum eucharisticum. Sic D. Cyril. Alex. lib. 12. in Ioan. c. 39. Chrysof. hom. 84. in Ioan. Cypr. lib. de Pass. Et notandum, quod Sanguis diuinissimus Eucharistiæ repræsentans secum de latere Christi aqua adducat, in qua populi significantur, ut iam ex tunc pateat, quam nolit esse cibus eucharisticus sine adiunctis sibi hominibus. Quod spectans Ecclesia in cõficiendo Sanguinis diuini calice, uino aquam admiscet: qua religione ostendit Christus Dei Filius, per eucharisticum conuiuium, sic adunare sibi homines, ut nolit ab illis disiungi. Ad hæc Cypr. epist. 63. ait: Quando in calice uino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & coniungitur. Quia copulatio aquæ, & uini sic miscetur, in calice Domini, ut commixtio illa non possit ab inuicè separari. Vnde plebem in Ecclesia constitutã fideliter, & firmiter in eo, quod credidit, perseverantẽ, nulla res separare poterit à Christo. Coniunctio Christi, & hominum per epulum eucharisticum de Christo figur. Tom. VI.

stia coalescens, coniunctione uini, & aquæ significatur. Et ut uinum semel aquæ mixtum nequit ab illa separari; sic Christus semel per Eucharistiã homini adiunctus, ab illo, quãrùm est ex se, separari nequit. Habac. c. 3. dicebat Deo: Egredius es in salutem populi tui. Circa quæ uerba ait D. Ger. Arch. Constan. in hist. rer. eccles. Non enim semel egressus, in posterum dereliquit nos: sed est nobiscum, & eris in perpetuum, & in auum hoc; per manum Sacerdotum, & linguã, mysteria conficit: ac non Sanctum Spiritum duntaxat misit Dominus noster, ut maneat nobiscum; sed & ipse pollicitus est se mansurum nobiscum, usque ad consummationem sæculi. Parauit equidem Dominus conuiuium hoc Eucharistiæ, ut mediante illo, quantum est ex se homines sibi inseparabiliter adiungat.

§. V.

Ab Eucharistia habemus, quod semper simus in Christo.

Adhuc ponderandum, quod Assuerus parari fecit conuiuium, pro coniunctione, & nuptiis Esther, quatenus nuptiali uinculo sic coniungebatur, ut omninò separari nequirent. Sic Rex Regum Christus parauit nobis mensam eucharisticam, pro coniunctione, & nuptiis hominũ, quos sic uniuuit sibi, ut per hoc conuiuium semper possint in illo inueniri. De latere Iesu puncto ait Ioan. 19. Continud exiuit Sanguis, & aqua. Non sanguis sine aqua exiuit: ut enim in aqua populi exprimebantur; sic debebat inueniri per Eucharistiã in Christo uniri. Ut dicat Paschal. lib. de Corp. & Sang. Domini, c. 11. In Apocalypsi Angelus aquas populos interpretatur. Et idè rectè prouisum est: quia simul cum Sanguine fluxit: ut hoc in mysterio ueri Sanguinis admisceatur, quatenus & nos in illo simus, ut per hoc salutis Sacramentũ diuinis obrutibus, illud uniri, mysticè offeramur. Eò equidè spectat cibus eucharisticus, ut homines per illũ semper inueniantur Christo uniri, & sic grati appareant diuinis obrutibus. Quod refero illud Prou. 9. Sapientia edificauit sibi domum, excidit columnas septẽ. Immolauit uictimas suas, miscuit uinum, & proposuit mensam. Fuit hoc diuinæ sapientiæ inuentum, ut quotidie in Ecclesiæ domo, & mensa proponeretur, & calix propinaretur. Et quo fructu? Ut inde homines sumerent, quo semper unũ facti cum Christo inuenirentur. Paschal. iup. c. 21. Inuenimus in Salomone, quod Sapientia miscuerit uinum suum, quod sanè uinum est illud, quod refunditur ad altare. Idè sit, ut Sanguis Christi inde pro nostris exhauriendis quotidie peccatis, rursus in pretium sumatur redemptionis. & interior homo noster per hoc plenius innotetur, & coniungatur Christo; non modò moribus, & uita; uerum etiam, & unitate natura per corpus, ut hinc inde in illius forma inueniamur. Habes, homo, quo sic Christo uniaris, ut in illius forma inueniaris, & quasi alter Christus suspiciaris à Patre diuino. Egredius de Ægypto Iudæis in terram promissam datur edendus agnus immaculatus, & dicitur illis Exod. 12. Comeditis festinates: est enim Phase, id est, transitus Domini. Ecce tibi, ut conuiuium paratur Iudæis in agno, quo ad terram promissam transirent. Verum Iesus meus Ioan. 13. cum transiret de hoc mundo ad Patrem, conuiuium corporis sui nobis porrigendum instituit. Et cur in Iudæorum transitu solus agnus de mundiali grege datur edendus: in transitu autem Iesu, non agnus de grege mundiali; sed agnus cœlestis, agnus diuinissimus porrigitur? Ut transirent Iudæi ad terrã, sufficiebat mundialis cibus: ut transirent Christiani ad Patrem, necessum erat, ut maximè copularentur, & adunaretur Christo Domino. Dicit enim Ioan. 3. Nemo ascendit in calum, nisi qui descendit de calo Filius hominis, &c. Necessum ergo erat, ut Dei Filio Christo Iesu unirentur, & adiungerentur maximè homines, ut in illo ad Patrem transirent, quod fiebat, non per agni mundialis esum, sed per agni diuinissimi cibum. Quod respiciens Algerus lib. 1. de Sacramento, cap. 22. ait: Comedamus agnum cum lactucis agrestibus, id est, amara compunctione plenis. Est enim Phase, id est, transitus Domini, quo ex hoc mundo transiuit ad Patrem: Cum enim Corpus Christi suscepimus, & Corpus eius facti fuerimus, transibit ipse in nobis ad Patrem; transibimus & nos in illo, ut cum illo in tanta transitus labore unum facti, unum semper simus in peruentio nis gaudio. Qui felicem transitum de mundo ad patrem sperat, hoc debet curare, ut ad diuinum cœlestis agni conuiuium accurrat: de tanto enim epulo habebit, ut unum factus cum Christo in hac transitoria uita, simul ut ad Patrem perueniat, unum etiam

Cant. 2.

Theodor.

Ioan. 17.

Cyrl. Alex.

Ioan. 19.

Habac. 3. German.

Paschal.

Prouerb. 9.

Paschal.

Exod. 12.

Ioan. 13.

Ioan. 3.

Alger:

4 Lib. XII. Esther, siue Iesu conuiuium.

etiam cum Christo fiat. Est enim cibus diuinus verum Phafe, quo gaudere debent, qui amant feliciter ad patrem transire.

§. VI.

Specierum Eucharistie vilitas, ut hominibus conducibilior.

Accedo ad Estheris conuiuium, de quo ait Textus c. 5. *Venerunt itaque Rex, & Aman ad conuiuium, quod eis Regina parauerat.* Ad conuiuium dicit simpliciter, non ad magnum, & magnificentum conuiuium; nihilque explicat gloriosum in hoc conuiuio. De Assuero dixerat supra cap. 1. *Fecit grande conuiuium: ut ostenderet diuitias gloria regni sui.* Et cap. 2. *Iussit conuiuium parari permagnificum.* Ecce tibi in conuiuio Assueri ut explicatur eius magnificentia, & gloria, proponunturque ob oculos regie diuitie. In conuiuio autem Esther Regi, & Amano exhibito nihil ostenditur magnum, nihil explicatur magnificentum. *Et cur? Equidem in Estheris conuiuio, non ostentatio gloriarum, sed vna querebatur populi Israelitici vita; & ideo solum, & simplicissime posuit illud, quod ad vitam populi obtinendam erat conducibile.* Quod & in Christi Domini conuiuio eucharistico cautum est; non enim in pretiosis alitum, pecudumve carnibus institutum est; sed in comunissimo, & vilissimo panis alimentum. Nihilque in illo aliud extrinsecus proponitur præter viles species panis, & vini. Et cur non pretiosius aliud quæsitum est ad tantum conuictum peragendum? Ait Alger. lib. 3. de Sacram. cap. 4. *In sacramentalibus speciebus non quasi dignitatem, sed aptitudinem.* Equidem hoc attendebatur in Eucharistia instituenda, ut quid aptum præstaretur ad vitam æternam mortalibus obtinendam. Nulla ibi cura de specierum pretio, aut dignitate; sed de vtilitate, quæ in vilibus his inueniebatur speciebus. Sed, esto; quod viles hæc panis, vinive species proponantur in Sacramento, cur gloriosi Corporis splendor, sub illis latens, non datur videndus? Quid conuenientia habet, quod solæ species illæ viles videantur, & totus lateat, & abscondatur gloriosi Corporis splendor? Sic magis aptatur diuinitimum hoc Sacramentum, ut excitentur homines ad Diuinitatis gloriam percipiendam. Quippe ait Algerus lib. 2. de Sacram. cap. 3. *Si autem sua potentia claritati Corporis sui visum nostrum contemperaret, non suo loco, aut tempore in contemplatione sua gloria remunerationem suam nobis præordinans, meritum conferret: quia amplius laborare non liberet: sicut & Petrus in transfiguratione dixit: Bonum est nobis hic esse. Quod, ut ait Leo, non erat improbitum, sed inordinatum.* Sic gloriosi Corporis sub panis speciebus latentis splendor, si videretur, efficeret, ne alterius glorie requirendæ afficeretur desiderio. Petrus vbi Iesum gloria transfigurationis fulgentem vidit in Thabor, nihil aliud optat, nihil aliud requirit, ibi solum amat sedere. Sic vniuersi, si in Eucharistia Christi Corporis gloriam videremus, nihil aliud requiremus; sed ab omni labore vacui federemus. Quod præcauens diuina Sapiencia solam micam panis, & guttâ vini exhibet, glorias abscondit, ut pro cælesti obrinenda laboremus. Quod spectans Prou. 9. ait: *Sapientia edificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinum, proposuit mensam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Ecce tibi ut parans diuina Sapiencia conuiuium, nihil in illo exhibet gloriosum, nihil splendens, solas vini, panisque species proponit, & si quid aliud est, illud mortem repræsentat. Et cur sola proponit, quæ mortem referant, & panis, vinique viles offerant species? Cur non magis viuidas glorie substantias proponit? Per illud conuiuium vocabat ad æternæ ciuitatis mœnia conquirenda, & ideo abscondit substantias glorie sub vilibus panis, vinive speciebus: si enim illas videremus, *amplius laborare non liberet: sed cum Petro diceremus: Bonum est nos hic esse.*

§. VII.

Nihil lenius, nec efficacius, quam conuiuium Eucharistie ad perdendos hostes generis humani.

VT perdat sui populi hostem Amanum Esther, conuiuium parat: dicit enim cap. 5. Regi: *Venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium, quod parauit.* Conuiuium

parat regium aduersus Aman; cur non magis parat spicula, iacula, ignes, furcam? Sapiens venatrix sciebat, nullo certius in perditionem trahi feram, quam per escas. Aiebat Rupert. lib. 8. de victor. Verbi, cap. 18. *Feram immanem, usuro feracem, ut trahat ad supplicium, allicit ad edulium, ne prius audiat famam, quam subeat poenam; ne prius videat foueam, quam incidat in eam: prudens, & sciens commodius esse, feram comprehensam intus opprimi, quam exterritam, & per saltus fugientem cum canibus dubio euentu insequi.* Duobus modis feras venator infestat; altero, cum vocibus, latratibusque canum illas excitat, currentesque iaculat, fugientesque per saltus ferro, igneque persequitur: qui modus laboriosior est venatori, & sæpè caret fructu. Altero autem modo venator foueam profundam parat, quam leuibus ramis operit, quorum in medium escas apponit conspiciendas. His positis, ipse abscedit in separatam, & absconditum locum, in quo sedet prædam expectans. Tunc fera famis aculeo excitata surgunt, veniunt ad locum, escarum conspectu, & odore allecta, nihil malum suspicantur, & dum currunt ad escas, fractis suo pondere ramis in foueam incidunt, in qua facili negotio à venatore perducuntur. Qui modus, & commodior, & efficacior est, ne vlla possit euadere fera. Hinc nobilis, & sapiens venatrix Esther, non ad eum venandi modum confugit, quo clamoribus excitaret feram Aman, & à longè iaculis insequeretur fugientem: sed magis parat escam, & allicit ad edulium, ne prius videat foueam, quam incidat in eam, sciens, commodius esse feram comprehensam intus opprimi, quam exterritam per saltus fugientem canibus dubio euentu insequi. Sic diuina Sapiencia dedit homini, quod per escam eucharisticam perderet hostes suos: qui modus & commodior, & efficacior est. Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* De aliis dicitur Psal. 6. *Parauerunt sagittas in pharetra, ut sagittarent in obscura, &c.* Et Psal. 34. monebat: *Apprehendo arma, & scutum, siue, ut Hieron. legit: Apprehendo scutum, & hastam.* Sic iubemur aduersus hostes parari sagittis, & scutis, & hastis, multisque aliis armis, quæ sunt opera bona, nimirum, ieiunia, elemosynæ, humilationes, lacrymæ. Sic D. Hieron. D. Ambr. D. Thom. ad cap. 13. ad Romanos. Et quando tot arma præstò sunt ad perdendos hostes, cur in Psal. 22. illis dimissis vna dicitur mensa parari? Cur non aptius parentur sagittæ, parentur scuta, hæc, iacula ad perdendos hostes, quam mensa? Equidem diuina Sapiencia nouit; quo possint commodius & efficacius perdi hostes generis humani. Et ideo parata mensa ad edulium vocavit, ut antequam fera videat foueam, incidat in eam: sciens commodius esse comprehensam feram intus opprimi, quam exterritam, & fugientem per saltus insequi. Ieiunia, humilationes, elemosynæ, cilicia, & similia, iacula sunt, quibus per deserti saltus hostem terribilem infestamus quod maxime nobis laboriosum est. Verum si mensa eucharistica nobis parentur, si has diuinitimas prætedamus epulas, commodius, & efficacius hostem funditus perdemus. Ut dicat D. August. lib. 4. de Trinit. *Apud Iesum paucissimi Iudæorum reuanserunt, agnoscens gentibus, & pia humilitate bibentibus pretium suum, eiusque fiducia deserentibus hostem suum.* Qui enim & prædium, & poculum eucharisticum prætulera, hostes suos ad desolationem redegerunt extremam. Accinit Isaias cap. 25. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemia, pinguium medullatorum, vindemia defacata.* Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & præcipitabit mortem in sempiternum. Proh commodissima, & efficacissima venatio ferarum depopulatrix! Præteduntur quasi in monte viuifica Eucharistie dapes: & ecce tibi, ut fera, nimirum, & Diabolus peccati author, & mors huius diuini conuiuii virtute in abyssi foueam præcipitantur. Vbi Noster posuit: *Præcipitabit, legit Diuus Hieronymus, Absorberi faciet: & ait: Faciet Dominus omnibus gentibus in monte Sion pingue conuiuium, holocausta medullata, & vinum vindemia defacata, ut præcipitet, & absorberi faciat faciem mortis, & vinculi, &c.* Equidem in conuiuio à Deo fidelibus parato, quo cælestes Eucharistie absumuntur dapes, simul & præcipitantur in foueam, & absorbentur & mors, & Diabolus. Psal. 73. ait David: *Tu confregisti capita*

Esther. 1.

Alger.

Proverb. 9.

August.

Isai. 25.

Hieron.

Psal. 72.

capita draconis, & dedisti eum in escam populis Æthiopum. Æthiopiſſa cenſetur Eccleſia gentium, cui dicitur datus in escam draco. Quis hoc audiuit? Planè non Diabolum, ſed Chriſtum ſcio nobis in escam datum. Sed ubi Chriſtum in refectionem ſumimus, neceſſum eſt, vt ſimul Diabolus abſorbeat. Ait D. Aug. *Quomodo acceperunt iſti in escam draconem illum? Puto, quia magis Chriſtum acceperunt in escam; ſed Chriſtum, quo ſe conſumarent; Diabolum, quem conſumerent.* Itaque in conuiuio Chriſti accepto, & Chriſtum, quo viuamus, ſumimus, & ſimul Diabolum conſumimus?

§. VIII.

Eucharistia letalis indignis.

Vocatus fuit Aman ad Estheris conuiuium, & vt ait Textus cap. 7. *Intrauit itaque Rex, & Aman, vt biberent cum Regina.* Et quid utilitatis attulit Aman conuiuium tantum? Equidem ſic caput illud finit: *Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo.* Vt merito dicat Rupertus lib. 8. de victoria Verbi Dei, cap. 21. *Qui conuiuando ſuper menſam, inuenit poenam.* Heu miſeram peccatorum hominum conditionem! Quiſquis enim Dei hoſtis indignè ad meſſam eucharisticam accedit, nihil aliud inde meret, quam extremam ruinam. Diu adhæſerat Iudas Ieſu, qui eſt fur, & latro eſſet, & non ſemel ſe à Ieſu reprehenſum nouiſſet; non tamen adducebatur, vt prorsus diſcederet à Ieſu, & in perditionem iret. Vbi autem ad menſam eucharisticam ventum eſt, ait Ioannes cap. 13. *Cum ergo accepit ille buccellam, exiit continuo.* Erat autem nox. Poſt cæleſtem buccellam indignè acceptam, non ampliùs voluit permanere cum Ieſu; ſed inde abiit funditus perdendus. Et quem latrocinia ſaltem corporaliter non auellerant à Ieſu, buccellam ſacra indignè ſumpta extremam illi attulit ſeparationem à vita. Vt conuiuando ſuper menſam poenam inueniret. Ait Paſchal. lib. de Corpore, & Sanguine Domini, cap. 8. *Iudas denec buccellam acciperet, quantum mente ſaucius, interdum tamen à Domini bonitate leniter, crebroque nunc cum aliis, nunc ſolus monetur. Sed, poſtquam indignus myſtica præſumpſit, inuaſit eum Diabolus; & qui priùs nutabat, cum accepit, continuo foras exiit.* Non ſic miſerum perdiderunt alia facinora, vt perdidit eum malè receptus cibus eucharisticus. Dum Ezechiel: oſtenditur ventura ruina in homines, ait cap. 9. *Ecce ſex viri veniebant de via porta ſuperioris, que reſpicit ad Aquilonem; & vnuiſuiſque vas interitus in manu eius.* Sex itaque viri ſtricti gladiis apparent, de quibus ſtatim ait: *Et ſteterunt iuxta altare areum.* Non ad plateas, non ad vrbs frequentias diuertunt, ubi latrocinia, ubi periuria vigent; ſed templum ingrediuntur, & iuxta altare ſtrictis ſuis gladiis conſiſtunt. Et, vt erat illud altare Eucharistiæ menſæ typus, ſic oſtendebatur, quam habeat poenam ſuper menſam, qui accedit indignus. Paſchal. ubi ſuprà: *Steterunt iuxta altare areum: per quod, nimirum, præſens altare, quo cibum vitæ, & ſtipendium militiæ noſtræ ſumimus, maniſeſtiſſimè deſignatur: Ad iſtud verò, ſi quis indignè acceſſerit; iudicium damnationis excipit. Ad hoc ergo vnuiſuiſque illorum vas interfectionis tuliffe ſcribitur.* Crede mihi, homo, tota illa menſa eucharistica ſcatet gladiis, in quos neceſſum eſt, vt incurrat, qui illò indignè accedit. Propterea enim, vt ait Paul. *& dormiunt multi;* dum enim indignè ſantum conuiuium participant, ore gladij metuntur. Et tantum malum eſt, quòd indignè vefcaris diuiniffimo Pane illo, vt beneficij loco habeatur, ſi quantò citiùs fieri poteſt, priueris vita, ne ex malis inde peragendis creſcat poena in infinitum. Iudas illa ipſa nocte, qua communicauit cæleſtem panem, abiit è viuis: de illo nanque ait Matth. 27. *Abiens laqueo ſe ſuſpexit.* Quod ponderans D. Chryſoſt. ſer. 3. de prodit. & Coena Domini, ait: *Iudas conſugit ad laqueum, vltimum capiens ex Pane ſolatio.* Itaque Panis cæleſtis indignè ſumptus pro vltimo ſolatio, & beneficio iſtantaneam mortem permittit miſero, ne diſſata vita maiores calamitates parturiret. Vt indignè accedens noſcat, quid mereatur, quando pro ſolatio datur illi, quòd citiùs priuetur vita.

§. IX.

Menſa eucharistica homines eò adducit, vt debitis ſatisfaciant.

Dictum eſt c. 5. *Venerunt itaque Rex, & Aman ad conuiuium, quod eis Regina parauerat.* Sed & ſtatim cap. 6. additur: *Bæza de Chriſto figur. Tom. VI.*

Noctem illam duxit Rex inſomnem, & petiit ſibi Annales legi, ex quibus noſcit deberi adhuc Mardocheo mercedem pro non mediocri præſtito obſequio, quam ſtatim reddi iubet. Planè conuiuio Estheris proximè ſequenti nocte Rex vigilat inſomnis, cuius vigiliæ eò deueniunt, vt debita merces reddatur Mardocheo. Quis hoc ſperaret de Principum conuiuio? Nonne mundialium Principum conuiuia frequentius abſumunt mercedes operariorum? Qui fieri potuit, vt à conuiuio Regiæ Esther in illam mentem Aſſuerus veniret, qua debitam mercedem mandaret reddi ſubdito? Vt conuiuium illud ordinabatur ad fidelis populi ſalutem obtinendam; ſic ad amuſſim exprimebat conuiuium eucharisticum, cuius eſt homines impellere ad hoc, vt debitis ſatisfaciant ſuis. De Corporis enim Chriſti Pane accepto venit, vt homo nitatur ſua debita ſoluere vel operariis inſimis. Zachæus ille Luc. 19. ubi naſtus eſt hoſpitem Ieſum, illumque excepit conuiuio, ſtatim ſtans in medio ait: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudauit, reddo quadruplum.* Multorum mercedes, & ſubſtancias apud ſe homo auarus retinebat, de quibus reddendis minimè cogitabat: ſed ubi naſtus eſt Ieſum conuiuam, ſic amore iuſtitie exarſit, vt ſtatim de ſoluendis debitis cogitaret. Ait D. Titus Boſtrenſis ſibi: *Vt primùm Chriſtum Dominum non citra gaudium in domum ſuam excepit, eo mox iuſtitia amore inarſit, vt in quadruplum ea ſereſarſurū ſponderet, qua per iniuſtitiam forſan ſuſtulerat.* Nequit equidem condigna Corporis Chriſti participatio ſtare cum ſumma incuria in ſoluendis debitis, in mercedibus operariorum non dandis. Vbi enim Chriſti menſam participas, eum ebibis ſpiritum, quo nihil velis debere vllis; ſed magis vigiles, vt ſatisfacias creditoribus cunctis. Ideò nunquam non credidi eos reos Corporis, & Sanguinis Chriſti, qui, cum multi ſint in ſumenda Eucharistiæ, in reddenda mercede mercenariis ſuis, & in ſoluendis debitis ſunt nulli. Noui aliquos viros principes vigilantes ad conuiuium Chriſti, vt Eucharistiæ ſumerent, & altè dormientes in victu mercenariorum reddendo, in operariorum danda mercede, in ſatisfaciendo creditoribus. Qui prætextu præcellentiæ ſtatus ſui, dum omnia diſſipant pro libito, & cupiditate ſua, nunquam ſunt ſoluendo, aut famulis, aut mercenariis, aut aliis creditoribus, nec de hoc curant; & nihilominus aut ſemel, aut bis in hebdomada ad menſam accedunt eucharisticam. Proh falſas hominum ſpes! Non gaudet his menſa diuina, cuius eſt, illum inſundere ſpiritum hominibus, quo vigilent, vt pro fratribus ſanguinem fundant; quanto magis debitum victum, aut debitas pecunias? Prouerb. 23. *Quando ſederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam: & ſtatue cultrum in gutture tuo.* Quæ verba ſic ex Septuaginta redduntur apud D. Aug. *Si ſederis cenare ad menſam potentis, ſapienter intellige, quæ apponuntur tibi, & mitte manus tuas ſciens, quia talia te oportet præparare.* Hæc menſa potentis paſſim creditur à Patribus, & Doctores eſſe eucharistica menſa, cui qui accumbit, obligatur attendere, & percipere, quæ in ea ponuntur, vt paret ſe ad præſtanda ſimilia. Quæ ergo ponuntur in menſa Eucharistiæ? Ponitur ibi ipſiſſimus Chriſtus, qui debita noſtra in ſe ſuſcipiens, & vita, & ſanguine fuſo curauit ſatisfacere creditori Patri pro illis. Hoc attendat, qui huc menſæ accumbit, & ſe præparet ad talia præſtanda, nimirum, vt vel ſanguinem pro ſatisfaciendo fratribus fundamus. Ait D. Auguſt. tract. 47 in Ioan. *Menſa potentis, quæ ſit, noſtis, ubi eſt Corpus, & Sanguis Chriſti, qui accedit ad talem menſam, præparat talia. Et quid eſt præparare talia? Quomodo ipſe pro nobis animam poſuit, ſic & nos debemus ad aſſerendam ſuam animam ponere pro fratribus.* Habet equidem diuina menſa, vt qualia ipſa refert, talia nos præſtemus. Et vt Chriſtus, qui illic ſumitur, nec ſanguini pepercit, vt pro debitis noſtris Patri ſatisfaceret: ſic nos ab hac menſa ſurgentes nulli rei parcamus, vel pro noſtris, vel pro fratribus debitis ſoluendis. Et qui nec ſanguini debet parcere pro liberandis fratribus; quomodo parcat pecuniis, pro ſatisfaciendo mercenariis? Pulchrè dicebat Rabanus apud Hugonem Card. Prouerb. 34. *Quidam quanta largiuntur, reſpiciunt; ſed, quanta rapiunt, non attendunt; & ideò, quæ largiuntur, in ſacculo pertuſo reponunt.* Attendunt equidem pluri, quanta largiuntur dona in Eucharistiæ ſumptione; ſed non attendunt, quanta rapiunt: nimirum, non curant, quanta debeant mercenariis, quanta debeant creditoribus, nec pro horum ſolutione vigilat; ſed prorsus contemnunt à ſe mercedes laborantium detineri, vt propriis cupiditatibus indulgeant. Et ideò, quæ largiuntur in Eucharistiæ ſumptione, in ſacculo pertuſo reponunt.

Auguſt.

Rupert.

Ioan. 13.

Paſchal.

Ezech. 9.

Paſchal.

1. Cor. 11.

Matth. 27.
Chryſoſt.

Luc. 19.

Tit. Boſt.

Prouerb. 23.

Septuag.

Rabani

§. X.

Suspectus tibi ille homo sit, qui non nisi coactus ad Eucharistiam accedit.

Vi multum gloriabatur Amanus de conuiuio Estheris, ad quod inuitatus fuerat, modò sic negligit conuiuium, ut necessum habeat compelli, & cogi illò ire. Dicit namque Textus cap. 6. Venerunt Eunuchi Regis, & ceterò eum, ad conuiuium, quod Regina parauerat, pergere compulerunt. Cur homo ambitiosissimus sic tardat, sic negligit ire ad regium conuiuium, ut necessum sit ad id cogi, & compelli? Fallax, si iam non affulgeat inde, quam lethale illi futurum sit tale conuiuium. Ominosum homini erat, quod non nisi coactus iret in conuiuium, quod aliàs deberet ambire. Ut hinc discas, quam ominosum debeat esse hominibus, quòd ad conuiuium eucharisticum non accedant, nisi cum iam censuris Pontificum, vel aliis malis coguntur. Qui cenam magnam pararat Luc. 14. dicebat seruo suo: Exi in uinis, & sepes, & compelle intrare, &c. Quid tunc? Ait Matth. 22. de eodem locutus, ut manuit Maldonatus cum multis Patribus: Intrauit Rex, ut uideret discumbentes, & uidit ibi hominem non uestitum veste nuptiali: Tunc dixit Rex ministris: Ligatis pedibus, & manibus mitte eum in tenebras exteriores. Deus bone, a tanto conuiuio in tantum itur supplicium? Qui regie pransurus intrarat, sic miserè inter prandendum occiditur? Quis tanti prandij conuiuæ talem exitum timeret, qui uidisset accedentem ad prandium non nisi coactum, & compulsum ire? Equidem, cum video homines sic negligere conuiuium Eucharistia, ut minimè ad illud accedant, nisi compulsi, & coacti paschali præcepto, paschalibus centuris; vehementer timeo, ne ab illo conuiuio indispositione sua mittantur in exitium. Quam nunc tarditatem, & negligentiam habent multi accedendi ad Eucharistiam, habebant antiqui Christiani accedendi ad Baptismum. Quibus dicebat Nazianzen. orat. 40. Baptizemur hodie, ne cras ui aliqua cogamur. Quasi crederet, rem periculosissimam esse, quòd ad Sacramentum necessarium, non nisi coactus accedas. Et ait eius Scholasticus Nicetas: Baptizemur hodie, ne cras ui aliqua cogamur, urgente, scilicet, morbo, vel alio quodam periculo, ac nos per uim ad Baptismum attrahente: tunc enim non tam baptizatur quisquam, quam uolenter premitur. Sic sanctis Doctoribus uidetur; qui coactè suscipit sacramentum, non tam Sacramentum suscipere, quam uolentiam pati, & premi ipso Sacramento. Qui enim solo concursu paschali, inter tot fideles circumstantis temporis coactus, vel aliis periculis compulsus accedit ad diuina, nunquam non mihi refert Satanam illum, qui aduersus Iobum factus, de quo ait Text. cap. 2. Cum quadam die uenissent filij Dei, & starent coram Domino, uenisset quoque Satan inter eos, & staret in conspectu eius. Ecce tibi Satan inter filios Dei adit, & semel & bis Deo. Et qui fieri potest, quòd tantus Dei osor, & diuinorum contemptor uelit inter Sanctos adstare Deo? Ait Iulianus in Cat. Græca: Venit in medium Angelorum quasi captiuus: nam illum pudebat, fugamque meditabatur. Non erat Satan inter Angelos ipse sua, sed uolenter ab Angelorum frequentia quasi pressus, & captiuus tenebatur, ut adstaret Deo: ipse autem ex se non attendebat Deo, sed fugam meditabatur, & totus erat in aliquo effugio querendo. Sic multi, qui solo paschali concursu, vel periculo aliquo ad diuina accedunt, inter ceteros fideles, quasi Satan inter Angelos, sunt quasi captiui, quasi ui oppressi, quantum est ex se meditates fugam, & quærentes prætextus, quibus sese ab illo epulo diuino expediant. His metuo, ne cælestis cibus uertatur in poenam. Exod. 16. qui seruauerunt manna in diem sequentem, inuenerunt illud uermibus scatens. Dicitur enim: Scature cepit uermibus. Sic qui cælestè prandium adeò negligunt, ut non nisi coacti ad illud accedant, debent metuere, ne in uiuifico cibo uermes, quibus rodantur, inueniant. Ait D. Ambros. in Psal. 21. Manna enim illis contra diuina præcepta tractantibus, uermes effecti sunt; id est, contumacia uiores, & iudices. Qua similitudo Christum indicat Dominum: quem qui suauem cibum, & dulcem potum haurire neglexerit, iudicem patietur. Non sic negligas cælestem cibum, ut non nisi coactus ad illum accedas, nisi uelis inde durissimum iudicium perpeti: ingens enim malum est homini, quando non nisi coactus edit.

Luc. 14. Mat. h. 22.

Nazianz.

Nicetas.

Iob 2.

Iulian.

Exod. 16.

Ambros.




CAPVT II.

Pueritia Estheris.

TEXTVS HISTORIA.

IV durante Iudæorum captiuitate apud Persas, de captiuis parentibus orta est puella, quæ à primis cunabulis Edissa nomen accepit. Nec prius nata dicitur, quam orba ostenditur: simul enim cum acquisita uita, utrunque parentem perdidit. Affuit tantæ orbitati defuncti patris frater, nomine Mardocheus, qui puellam educauit pro sua, eiusque salutis, & pulchritudinis vigilantissimum se custodem præbuit. Ea enim erat adolescentulæ pulchritudo, cuius gratia, dissimulato Estheris nomine, vulgo cœpit uocari Edissa, id est, Myrtea, ut de pulcherrima arbore eius decora species commendaretur. Sic noster Sanctius credidit.



MORALIA CIRCA TEXTVM.

VIDEORVM captiuitas Estherem edidit: sic hyemis asperitas, in flores uernantes decidit.

Cap. 2. Erat vir Iudæus in Susan ciuitate, uocabulo Mardocheus, filius Iair, filij Semiei, filij Cis, de stirpe Iemini. Qui translatus fuerat de Ierusalem eo tempore, quo Iechoniam, Regem Iuda, Nabuchodonosor, Rex Babylonis, transtulerat.

§. I.

Castitatis puritas nunquam non floridum fasciculum exhibet Deo.

DE Estheris cognatis cantatissimus est Mardocheus, qui cum illa liberationem populi peregit. Cuius in præfenti aui, & atauis referuntur, filij nusquam ulli, imò nec coniuges, ut inde possim credere ab illo fuisse cælibatum maximè cultum. Quippe August. Elianæ uirginitatis fundamentum in eo ponit, quòd nec nuptiæ, nec filij eius in Scriptura celebrentur. Ait enim lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 6. Creditur enim Elias non habuisse uxorem, quia hoc Scriptura non dixit, quauis de cælibatu eius nihil dixerit. Et si à sacra Pagina non dicatur Elias fuisse cælebs; tamen quia nec uerbum facit de eius nuptiis, nec de procreatis filiis, creditur cælibatum coluisse. Et de castitate, & uirginitate eius multa dicunt Ioannes Ierosol. D. Hier. D. Ephrem, D. Ambr. & alij. Cur non etiam credatur Mardocheus uirgo, de cuius coniugio, aut posteritate, nec uerbum facit Scriptura? Ego crediderim, nullum è ueteribus in castitatis, & uirginitatis cultu proximè accessisse D. Iosepho, Mariæ Sponso, quam pulcherrimæ puellæ custos, cuius frequentia nec minimam illis in pudore maculam inussit. Meritò ergo pro tanto castitatis cultore, dicitur eius habitatio fuisse Susan, ciuitas regia Persarum. Est enim Susan idem, quod liliun, ut manuit Cornel. à Lapide ad cap. 8. Danielis. Inter lilia autem requirendus est castitatis cultor: nunquam enim hæc uirtus non exhibet Deo floridum fasciculum. Luc. 1. dum quæritur in terris Mater Virgo Dei Filio, mittitur Angelus Nazareth: ait enim: Missus est Angelus à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad uirginem desponsatam uiro, &c. Et cur tantam uirginem prouidit sibi Deus in Nazareth? Nazareth nomen idem est ac flos, teste D. Bernard. ser. ad milites de templo, cap. 7. Quo iam Deus præmonstrabat, quas sibi rosas promittebat in uirgine, licet hæc de senticoso Iudæorum

August.

Cor. à Lap.

Luc. 1.

Bernard.